

fuerit turbatio, & divisio inter Fratres, quæ per Provinciale Ministerium tolli non possit, Generalis Minister per se ipsum, vel per Visitatorem, seu Visitatores visitet huiusmodi Provinciam, Custodiam, vel Conventum; & eos, quos repererit talium turbationum, & divisionum auctores, si in Officiis fuerint constituti, eos amoveat ab Officiis ipsis, de consilio Discretorum, prout superius diximus ordinandum: & tam ipsos in Officiis constitutos, quam alios, qui non fuerint in Officiis constituti, si visum fuerit expediens, de suis expellat Provincias, vel aliter puniat, prout pacifico statui Ordinis expediet, & culpa exegerit eorumdem. Pro salubri quoque puritatis augmento dicti Ordinis tenore præsentium providimus ordinandum, quod Capitulum culparum, quod ut audivimus, secundum morem in dicto Ordine hæcenus observatum, semel dumtaxat consuevit in septimana teneri, fiat & teneatur deinceps perpetuo ad minus tribus diebus cujuslibet septimane, in quibuscumque Locis Conventualibus ejusdem Ordinis, & aliis, in quibus saltem erunt sex fratres, vel supra, ac etiam in quibuscumque aliis, in quibus dictum Capitulum fieri consuevit: In quo quidem Capitulo culparum quotidianæ culpæ, ac negligentie singillatim, & specificè plene recognoscantur, & recognite debite puniantur. Ordinent autem & statuam Ministri, & Guardiani in singulis Locis prædictis, & præsertim in illis, in quibus erunt studia, seu studentes, sic prudenter horam huiusmodi Capituli celebrandi secundum qualitatem personarum, varietatem temporum, & conditionem locorum, & aliis omnibus pensatis intalibus, quæ secundum datam eis a Deo prudentiam viderint expedire. Itaque ipsa Capitula plene fieri, & teneri valeant tribus diebus prædictis, & dictæ culpæ ac negligentie recitari, & puniri, prout superius est præmissum: & nihilominus divinis Officiis, Sermionibus, Lectionibus, & aliis, quæ expedienda fuerint sufficienter vacari, quemadmodum in pluribus Religionibus etiam diebus singulis laudabiliter observatur. Præterea ordinamus, quod si Ministri Generales, seu Provinciales, aut Custodes, vel Guardiani, sive quisvis alii præfidentes dicti Ordinis reperti fuerint criminosi seu prævaricatores Ordinis aut Beati Francisci Regulæ contemptores, sive notabiliter negligentes, & remissi, & specialiter si ordinationes, & statuta nostra præsentia vel statuta regularia dicti Ordinis non faciant, quantum in eis fuerit, observari, ab eorum officii seu præfidentis deponantur.

De Dormitoriis, Cameris, & Clausuris.

§. 31. Cæterum ordinamus, quod nullus Fratrum habeat Cameram clausam, vel a Dormitorio sequestratam, exceptis Ministris & Lectoribus constitutis in generalibus studiis; & quod in cellis, vel studiis Fratrum aliorum non habeant velamina vel clausuræ, quominus Fratres intus existentes patere possint aspectibus aliorum. Magistri autem in Theologia etiam non legentes, & Fratres emeritæ

senectutis possint de licentia Generalis, vel Provincialis Ministri habere cameras a Dormitorio sequestratas. In dictis autem cellis & studiis, seu cameris comedere non præsumant, nisi forte in cameris ratione infirmitatis, vel de licentia Minorum ex aliqua alia rationabili causa. Quod si contra fecerint, secundum suorum Superiorum arbitrium puniantur. Volumus etiam, quod in Locis Ordinis sufficientes clausuras non habentibus clausuræ huiusmodi fieri procurentur: & quod diebus singulis infra spatium comprehendens Ecclesiam seu Oratorium, Claustrum, Dormitorium, & studia a dormitorio separata, & secretæ necessitatis locum, Fratres omnes præter infirmos & forenses, ac servitores eorum, & illos, quibus concessum est habere cameras a dormitorio separatas, a Completorio usque ad primum signum Primæ diei sequentis se recolligant, seu includant siquæ per Domo alias vel Porticus aut plateas illo tempore, quieti & orationum dedito nullatenus evagentur, nec ad Lectores de nocte præsumant accedere, etiam si eorum Camere fuerint infra inclusionem prædictam: infirmos tamen extra conclusionem prædictam, possint de licentia Guardiani, vel ejus Vicarii accedere, si casus necessitatis emergat. Loca vero dicti Ordinis, quæ ad huiusmodi inclusionem non sunt disposita, quamcito commodius fieri poterit, disponantur, & huic salubri observantia coaptentur.

De Aedificiis.

§. 32. Præterea volumus, & etiam ordinamus, quod in Locis dicti Ordinis Ecclesiæ aut Officinæ, seu quævis alia ædificia sumptuosa non inchoentur, neque destruantur, nisi deliberatione prius habita diligenter per Generalem, seu Provinciale Ministerium, Custodem, Guardianum, & Discretos loci; & nihilominus interveniente auctoritate ipsius Generalis, seu Provincialis Ministri: & cum facienda fuerint, & inchoanda huiusmodi Aedificia, caveant diligenter prædicti & alii, quod propter ipsa, seu occasione ipsorum Conventus victus necessaria non amittant, nec loca ipsa debitis aggraventur constitutione præfati Clementis Prædecessoris nostri super hoc edita in suo robore duratura. Per præmissa vero, vel aliquod præmissorum non intendimus Regulæ dictorum Fratrum, seu Constitutionibus, aut declarationibus quorumcumque, Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum subsecutis, seu factis, vel habitis super ea, in aliquo derogare: quinimo præmissa omnia & singula secundum Regulam, Constitutiones, & declarationes prædictas, in quantum ipsas tangant, intelligi volumus, & servari.

De Monialibus, seu Minorissis.

§. 33. Insuper, quia decet Christi familias, & devotas Ancillas, quæ mundanis contemptis illecebris adversus principes tenebrarum, & contra spirituales nequitias pugnantur,

re, se per professionis votum disciplinis regularibus astrinxerunt, in agone præsentis militiæ sic per rectum iter observantiæ regularis incedere, ut per perfectam cordis & corporis puritatem post consummatum cursum mundialis certaminis superne vocationis bravium consequi mereantur. Nos statui Monialium, si quæ sunt sub cura, seu regimine Fratrum Ordinis minorum, vel erunt in futurum, sive Minorissarum, aut sanctæ Clare, seu Sancti Damiani Ordinum vocabulis nuncupentur, paternæ sollicitudinis studio providere volentes, auctoritate præsentium ordinamus, quod in singulis Monasteriis earumdem per Provinciales Ministros ejusdem Ordinis Minorum de consensu Abbatissarum & Conventuum, seu majoris partis numero earumdem, auctoritate Apostolica certus Monialium numerus statuatur juxta Monasteriorum ipsorum suppetentiam obventionum & etiam facultatum; itaque ex ipsis congrue valeant sustentari: quodque ultra dictum numerum nulla in eis possit recipi nisi de Apostolicæ Sedis auctoritate seu licentia speciali, vel nisi adeo ipsorum Monasteriorum facultates seu obventiones excreverint, quod pluribus possent sufficere competenter: sed ex tunc prius talis excrecentia referatur Capitulo generali dictorum Fratrum Minorum, in quo ordinari habeat, quot personæ ex ipsis fructibus, vel obventionibus excrecentibus ultra dictum statutum numerum possint poni. Cum autem infra dictum statutum numerum alicuius, vel aliquarum receptio fuerit facienda, talis receptio fieri nequeat nisi de Ministri Generalis, vel Provincialis speciali licentia & expensâ: quibus districte præcipimus, ut antequam huiusmodi concedant licentiam, diligenter provideant, ne aliqua pactio illicita, seu pravitas simoniaca intercedat. Si vero contingat aliquid gratis offerri Monasterio ab ingreditur, parentibus, vel amicis ejus, vel alterius Monialis, vel pensionem seu redditus alicui Moniali, vel quicquid aliud donari vel legari, per Abbatissam ipsam recipiatur, & in usus communes convertatur, & necessitatibus ejus, cujus contemplatione oblatum, datum, seu legatum fuerit, favorabiliter subveniatur. Caveant insuper præfati Generalis & Provinciales Ministri, ne pro concedenda prædicta licentia, seu alias quomodocumque occasione ipsius, vel quovis alio colore vel figmento quæsito, aliquid quacumque seu quibuscumque persona vel personis, per se vel alium seu alios, ante ipsam licentiam, vel etiam postea, recipere quomodocumque præsumant, seu recipia quibuscumque aliis etiam sui Ordinis singularibus Fratribus vel Conventibus, seu dari aut offerri locis vel fabricis, seu aliis usibus quibuscumque dicti Ordinis vel locorum ipsius faciendum vel procurandum; aut quantum in eis fuerit, hoc fieri permittant, etiam prætextu cuiuscumque consuetudinis, quam reputamus potius corruptelam. Si vero contra fecerint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, a qua nequeant, nisi per Summum Pontificem præterquam in mortis articulo ab-

Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

solutionis beneficium obtinere: Et si legitime ad hoc convicti fuerint, ab eorum ministeriis seu officiis perpetuo deponantur. Præterea ordinamus, quod tam Abbatissæ, quam alii, seu alia, qui, seu quæ, bona, & obventiones dictorum Monasteriorum administrant, colligent, recipient, aut expendent, teneantur annis singulis coram Generali, vel Provinciali Ministro, seu Visitatore, & certis Monialibus Monasteriorum ipsorum providis & discretis, ad hoc per Conventus eorumdem Monasteriorum electis, de receptis & expensis, ac de iis, quæ eis vel per eas debentur, & de statu in quo Monasteria erunt, plenam & fidelem reddere rationem. Ordinamus etiam, quod deinceps in singulis Monasteriis sive Locis ipsarum in novitate cujuslibet Abbatissæ infra duos menses, postquam pacificam possessionem honorum Monasterii habuerit, in præsentia Generalis vel Provincialis Ministri, seu Visitatoris ipsius Monasterii, & sex discretarum Monialium ejusdem, de omnibus Bonis ipsius Monasterii mobilibus & immobilibus, seseque moventibus, in quibuscumque consistant, sicut inventaria seu registra consimilia duplicata, si illis Abbatissæ, & Conventus sigillata: in quibus inter alia continetur, quot extent, vel deficient animalia, & qualia quanta blada, vina, & cætera victualia, & quæ & quot & quibus Monasterium debeat, & quæ & quot & a quibus debetur eidem, & sub quibus obligationibus debet, vel debetur ei; & quæ & quot vasa sive ornamenta, vel suppellectilia, & similia inibi fuerint. Et si qua Abbatissa in bono statu receperit Monasterium, ipsumque postea ad malum statum deduxerit, bona ipsius debitis obligando indebite, vel dilapidando seu alienando, ab administratione Abbatissæ removeatur omnino, & alias debite puniatur. Prædicta autem inventaria seu registra clare & integraliter in Capitulo ipsius Monasterii præsentibus Conventu ejusdem, & ad hoc specialiter congregatis legantur, & vulgarizentur, quibus sic lectis, unum penes Abbatissam remaneat, & aliud penes dictum Conventum, & transcriptum ipsius penes dictum Generalem vel Provinciale Ministerium. Cæterum cum universæ & singulæ dictorum Ordinum Moniales secundum earum regulas & Constitutionem felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri, super hoc editam, sub perpetua in suis Monasteriis debeant permanere clausura, & in nonnullis Monasteriis Monialium prædictarum id, sicut accepimus, non usquequaque servetur: volentes Constitutionem prædictam super hoc inviolabiliter observari, districte præcipimus Ministris, Visitatoribus, Abbatissis, & quibuscumque aliis, ad quos vel quas hoc pertinuerit, ut clausuram huiusmodi diligenter teneri faciant, & servari: itaque nulli earum tacite vel expresse professe sit, vel esse valeat quacumque ratione, vel causa clausuram huiusmodi deinceps egrediendi facultas; nisi forte causa plantandi vel ædificandi eandem Religionem ad aliquem locum aliqua transmittantur, vel tanto forte & tali morbo evidenter earum aliquam labo-

K k rare

De Clausura Monialium.

rate constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari: quodque nulli regulari, aut seculari, vel laicae personae, cuiuscumque praegeminentiae dignitatis, status, vel conditionis extiterit, ingressus pateat ad eandem, sine Apostolicae Sedis licentia speciali, exceptis solummodo personis illis, quibus in certis casibus per dictorum Praedecessorum ordinationes, & earundem Monialium Regulas noscitur esse permittum. Eisdem quoque Ministris, Custodibus, & Guardianis districtius tenore praesentium duximus injungendum, ut Fratres dicti Ordinis sibi subditos arcere studeant ab accessu ad Monasteria Monialium quarumcumque juxta Beati Francisci Regulam, & Apostolica, ac ipsorum Fratrum Ordinis Instituta, poenas in dictis Institutis eorum provide ordinatas eorum transgressibus infligendo. Quamvis autem in Regula dictarum Monialium Sanctae Clarae sequens clausula inter alia sit inserta videlicet: Post sint autem in singulis Monasteriis recipi aliquae, licet paucae, sub servitium nomine vel sororum, ad hujusmodi Professionis observantiam in astringenda: praeterquam in articulo de clausura &c. Nos tamen honestati & fama tam ipsarum Monialium Sanctae Clarae, quam Minoritarum, & Sancti Damiani praedictarum in hac parte providere volentes, ordinatione praesenti perpetuo valitura districte praecipimus, quod hujusmodi servitiales seu sorores, ad observantiam Professionis astrictae, & quae de caetero astringuntur quemadmodum, & caeterae Moniales debeant sub perpetua clausura manere; possint tamen singula Monasteria dictarum Monialium habere aliquas paucastamen mulieres, moribus & aetate maturas, providas & honestas in seculari honesto tamen habitu incedentes, quae dictam clausuram nullatenus ingredi permittantur; sed negocia Monasterii, ac necessitates Monialium, prout eis commissum fuerit, fideliter exterius peragant & procurent. Porro si Abbatisa contra praemissa clausuram praedictam exire praesumpserit, vel ad exeundum aliquam licentiaerit Monialem, per Ministrum suum de discretorum Fratrum consilio removeatur a regimine Abbatisae; Moniales vero dictam exeuntes clausuram in casibus non permittis, ipso facto sint inhabiles ad quaecumque officia in earum Ordine obtinenda; & nihilominus subdantur poenis illis, quae pro gravioribus culpis in ipso Ordine consueverint imponi. Ad haec districte prohibemus, dictorum Ordinum Moniales in earum dormitorii cellas habere; si quas vero habent, omnino destrui praecipimus & mandamus per Ministros seu Visitatores in prima visitatione, quam impendent in Monasteriis earundem. Contradictores, si qui, seu si quae fuerint, ac dantes eis in hoc auxilium vel favorem, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam compescendo.

De Publicatione hujusmodi Constitutionum.

§. 34 Ut autem salutaria statuta & ordinationes hujusmodi, per quorum observantiam Professores eiusdem Ordinis aeterno Regi in puritate mentium obsequentes, de spiritualibus hostibus animarum poterunt Deo

propitio facilius triumphare, per eorum publicationes solemnes ad cunctorum Professorum dicti Ordinis notitiam deducantur, ac devote & fideliter observentur ab eis: auctoritate Apostolica tenore praesentium ordinamus, quod statuta & ordinationes praedictae in primis eorum Generali & Provincialibus Capitalis a principio usque ad finem integre, prout jacent, legantur publice, & solemniter publicentur; earumque singulae copiae singulis Ministris Provincialibus ad praefatum primum Capitulum Generale convenientibus per Ministrum Generalem, ejus & Diffinitorem ejusdem Capituli Generalis sigillis sigillatae tradantur, & etiam assignentur. Itidem quoque Provinciales Ministri copiam statutorum & ordinationum hujusmodi singulis Conventibus Provincialium suarum infra duorum mensium spatium post publicationem eorum in suis Provincialibus Capitulis factam mittere teneantur.

§. 35 Volumus etiam, & auctoritate statumus supra dicta, quod in singulis Conventibus dicti Ordinis statuta & Ordinationes praefata legantur quolibet mense semel; & quod quaelibet alia statuta, & Ordinationes ejusdem Ordinis, contraria iis nostris Ordinationibus & statutis, ipso facto omni robore careant, & etiam firmitate. Dicti quoque Ministri & Fratres dicti Ordinis praesentes, & posteri contra Ordinationes & statuta nostra hujusmodi quicquam statuere vel etiam ordinare, aut observantiam aliquam introducere non praesumant: quod si secus praesumptum fuerit, id auctoritate Apostolica irritum decernimus & inane, & nullius penitus existere firmitatis.

§. 36 Volumus etiam & mandamus, quod singuli Ministri Provinciales in singulis suis Provinciis singulis Conventibus Monialium praedictarum, quae sub cura seu regimine dictorum Fratrum consistunt, in quantum eas tangere vel respicere dignoscuntur, infra dictum terminum sub eorum & Diffinitorum sigillis singulas copias debeant assignare; eaque eisdem Conventibus legi, ac vulgarizari faciant, & exponi: ac sub poenis contentis in eis districte mandari, ut illa deinceps debeant inviolabiliter observare.

§. 37 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, voluntatum, & mandatorum infringere &c.

Datum Avenioni Quarto Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno Secundo.

Contrario derogato.

Horum statutorum copia singulis Monialium Conventibus danda.

Clausula.

Dat. die 18. Novembris 1336. Ann. 11.

Sta.

XII.

Statuta, & Ordinationes pro bono Regimine Poenitentiarie Apostolicae ejusque Officialium, ac forma Juramenti praestandi ab eisdem.

Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

IN agro Dominico universalis Ecclesiae Operarii & Custodes a Domino, licet immeriti constituti desideramus, in eo talem exercere culturam, per quam sanctorum operum fruges, grataque Deo messis, & sincera fidelium evulsis exinde peccatorum spinis, & tribulis coalescat. Hinc est, quod Nos, attenta meditatione pensantes, quod ad Sedem Apostolicam universorum Matrem fidelium, & Magistram, velut singularem portum salutis pro Confessionis lavacro, & medela poenitentiae salutaris, praesertim in casibus eidem Sedi specialiter reservatis, universi Christianifideles cum indigent, devote recurrunt, tam Nobis quam Majori, & aliis Minoribus Poenitentiaris nostris suorum peccaminum pro obtinenda spirituali salute vulnera detegentes: hoc votis cupimus, hoc totis desideriis ardentius affectamus, ut officium Poenitentiarie nostrae in omni puritate, & sinceritate procedat, & ut Major, & alii Minores Poenitentiarum praesentes, & posteri ac Procuratores, caeterique Ministri dicti officii nitide, pure ac sincere, quae eis ratione dicti officii imminet vel imminere agenda, studeant exercere; seque sollicitos & obsequiosos exhibeant ad salutarem, & celerem expeditionem eorum, qui de diversis Mundi partibus ad eosdem Majorem, & Minores Poenitentiarum tamquam Medicos animarum duxerint recurrendum, eis de spirituali salute, prout ad eorum spectat officium, caute, discrete, & salubriter providendum.

Sanctae haec leges ut ratio quis in officio Poenitentiarie se gerat.

§. 1. Ut igitur dicti Poenitentiarum, & Scriptores praesentes, & posteri, & alii Ministri dicti officii, ac eorum Procuratores, qui circa ea, quae ad dictum officium Poenitentiarum spectant, Procuratoris ministerium exercent, per salubria instituta, veluti per quasdam inviolabilium semitas mandatorum rectos faciant gressus suos, infra scriptas Constitutiones, per Majorem & Minores Poenitentiarum, Scriptores, Ministros, ac Procuratores, praedictos praesentes & posteros, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandas, auctoritate apostolica duximus faciendas.

De Deo adhibendo in consilium per summum Poenitentiarum in casibus ambiguis.

§. 2. In primis igitur auctoritate apostolica statumus & etiam ordinamus, quod pro celeriori expeditione occurrentium Casuum, dubiorum in officio supra dicto, Maior Poenitentiarum habeat secum saltem unum peritum & expertum Doctorem in Jure Canonico, ab eo specialiter deputandum ad examinandum diligenter omnes & singulas petitiones, literas Poenitentiarum praedictae super occurrenti-

Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

bus Casibus ambiguis in petitionibus oblati expressis: Idemque Doctor, quando & quoties occurrerint tales Casus ambigui, illos referat Majori Poenitentiarum supra dicto, & super eis conferat & deliberet cum eodem: quibus collatione & deliberatione praehabitis, de consensu, & secundum ordinationem dicti Majoris Poenitentiarum conficiantur literae super eis, & expeditionem celerem fortiantur.

§. 3. Idem quoque Major Poenitentiarum deputet unam Personam sufficientem & idoneam ad recipiendum, & examinandum omnes, & singulas petitiones ad ipsius Poenitentiarum officium pertinentes, & ad expediendum omnes petitiones secundum communem cursum officii Poenitentiarum nullum dubium continentes, & quae secundum dictum cursum consueverunt absque difficultate aliqua expediri: Dubias vero referat Majori Poenitentiarum, vel Doctori praedictis.

§. 4. Correctores insuper literarum dictae Poenitentiarum, de Scriptoribus ejusdem officii magis expertis & idoneis per dictum Majorem Poenitentiarum, ad correctionem hujusmodi deputentur, qui die qualibet ad certum locum ad hoc ordinatum, vel ordinandum, per dictum Majorem Poenitentiarum iusto impedimento cessante, hora Prima, vel alia competentem venire personaliter teneantur: ibique omnes, & singulas literas dictae Poenitentiarum examinent diligenter, easque corrigant & reforment: & sic examinatas & correctas, ipsi, vel alter eorum Sigillatori dicti Majoris Poenitentiarum, qui pro tempore fuerit, manibus propriis quantumcunque studeant assignare; vel pro celeriori expeditione dictarum literarum per eosdem Correctores, vel alterum eorumdem ponantur in una Archa in Domo dicti Majoris Poenitentiarum, ad hoc specialiter deputanda, quae duabus consimilibus clavibus feretur: quarum una Sigillatoris, & altera unius ex dictis Correctoribus custodiae committantur, ex ea per dictum Sigillatorem sumenda, & sigillanda ac restituenda, prout fuerit haecenus consuetum. Dictae quoque literae postquam fuerint sigillatae, donec iis, quorum sunt, fuerint restituta, per dictum Sigillatorem ponantur in Archa ad earum custodiam deputanda: Quae quidem Archa in Domo dicti Majoris Poenitentiarum conservetur, & habeat duas claves consimiles, quarum una per distributorem dictarum literarum, & alteram per certam fidelem Personam, quam ad hoc dictus Major Poenitentiarum duxerit deputandam, debeant custodiri, ut sic facilius expeditio pauperum, & earundem literarum restitutio subsequantur.

De alia persona per eundem deputanda ad expedienda negotia non dubia.

De Correctorum Officio, sigillatore.

§. 5. Declaratorias vero, & alias literas, Casus ambiguos continentes dicti Correctores praefato Doctori examinandas, & reformandas assignent, cessante more cuiuscumque tarditate. Idem quoque Doctor, postquam per eum examinate fuerint & correctae, nisi occurrerent sibi dubia, super quibus foret Major Poenitentiarum consulendus, eas sigillatori manualiter, vel sub sigillo suo per Nuntium proprium juratum tradere teneatur: & tam Doctor, quam Persona ad recipiendum peti-

De juramento a supra dicto Doctore, & alia persona deputata praestando.

K k 2

tio.

tionem, ut præmittitur, deputata, quam etiam Correctores & sigillator præfati, singulariter singuli in manibus ejusdem Majoris Pœnitentiarii, de iis per eos fideliter exercendis præstabant debita Juramenta juxta formas, quæ inferius continentur.

De supplicationibus Papa legendis.

§. 6. Supplicationes autem, quæ Nobis, vel Successoribus Nostris Romanis Pontificibus sunt legendæ, per præfatum Doctorem cum diligentia recipiantur, ordinentur, & conferentur: nullaque ponatur in numero legendarum sine certa & expressa scientia Majoris Pœnitentiarii memorati; & illæ, quæ recipiende fuerint, cito recipiantur, & examinentur: & indilate postquam fuerint expeditæ, restituantur illis, quorum sunt, vel Procuratoribus earundem.

Nihil pro literis taliter expeditis accipiendum.

§. 7. Hoc idem circa celerem receptionem & facilem expeditionem, & indilatam restitutionem circa alias supplicationes dicti Officii observetur: pro quibus nihil omnino quovis modo ante vel post receptionem, expeditionem, & restitutionem recipiatur, seu detur.

De horis, quibus quisque Pœnitentiarius sistere in Ecclesia debet.

§. 8. Statuimus insuper, & etiam ordinamus, quod omnes & singuli Minores Pœnitentiarii singulis diebus, quibus consuetum est eos ad Confessiones audiendas in Ecclesia residere, quolibet mane, videlicet hora, qua pulsatur ad Primam in Ecclesia majori Civitatis, vel loci ubi Curia residebit, accedant ad Ecclesiam seu locum deputatum vel deputandum pro audiendis Confessionibus, & aliis exequendis, quæ spectant ad officium eorumdem. Quodque inibi commorentur, quousque pulsatum fuerit ad Tertiam in Ecclesia majori prædicta: nisi eosdem Pœnitentiarios, vel aliquem seu aliquos eorumdem causa rationalis præpediret, omni fraude ac dolo super hoc prorsus exclusis.

Benigne per eos cum Pœnitentibus agendum.

§. 9. Idem quoque Pœnitentiarii mansuete ac etiam charitative audiant peccata, seu Confessiones illorum, qui confitebuntur eisdem, & ipsos absolvant in Casibus dumtaxat eis concessis, sive permissis: nec confitentes eosdem ob parvitatem vel abjectum statum eorum, vel quemvis alium defectum dedignentur audire, vel circa eos suum officium exercere; dictosque confitentes propter enormitatem, vel turpitudinem peccatorum, quæ in confessione detexerint, non minus exasperent arguendo, sed eos patienter audiant; & per salutaria monita diligenter inducant, ut a talibus peccatis omnino desistant; & ab aliis etiam quibuscumque delictis, & peccatis abstineant, eis saltem in generali malorum poenas, & bonorum præmia salubriter exponendo.

Termini nonnulli facultatem eorumdem.

§. 10. Nullus autem eorumdem Pœnitentiariarum pro hujusmodi confessionibus, vel absolutionibus, vel aliis spectantibus ad Officium eorumdem quidquam per se, vel alium exigat vel petat seu recipiat, etiam gratis oblatum, vel etiam sub titulo, vel specie elemosynæ, vel alio quovis modo: nullusque eorum absolvat, vel dispenset scienter in aliquo Casu sibi non permissio. Nullus etiam eorumdem quemquam scienter absolvat a peccato vel peccatis aliquibus in aliquo Casu

ambiguo, vel in dicto Casu dispenset cum aliquo, nisi de speciali mandato Romani Pontificis, vel Pœnitentiarii Majoris, cui teneatur exprimere dictum Casum sine alicujus revelatione vel expressione personæ: neque injungat pœnitentias pecuniarias, expresse sibi, vel alicui certæ personæ, vel ordini suo, vel alteri applicandas. Satisfactionem vero vel restitutionem pecuniariam, vel realem quamcumque certam, seu de certis per aliquos exhibendam injungat, & fieri mandet illi, vel illis tantum, quibus pro damnis eis illatis, vel rebus ablati, vel aliis similibus casibus fuerit emenda præstanda, vel restitutio facienda. De incertis vero damnis illatis, vel rebus ablati, cum videlicet ignorantur personæ, vel loca, quibus facienda sit restitutio, vel emenda præstanda, dicti Minores Pœnitentiarii se nullatenus intromittant: sed hæc remittant Majori Pœnitentiario supradicto: si secus fecerint graviter puniendi.

De mulierum audiendis confessionibus.

§. 11. Idem quoque Pœnitentiarii mulierum Confessiones audire in loco prædicto eis deputato tantum, & non alibi teneantur: nisi dictarum mulierum infirmitas, vel status earum sublimitas aliud exigeret faciendum: sed hoc ultimo casu in aliqua Ecclesia, & in loco patenti audiant Confessiones earum. Virorum autem Confessiones in prædicto loco eis deputato teneantur audire: nisi eorumdem virorum infirmitas, vel personæ contentis status, & conditio aliud suaserit faciendum.

Litteræ absolutionis, vel dispensationis nonnulli per Scriptores ad id deputatos scribenda.

§. 12. Eisdem quoque Pœnitentiariis districtius inhihemus, ne litteras absolutionis seu dispensationis illorum, quorum Confessiones audient, per alios scribi faciant, quam per scriptores Pœnitentiariæ nostræ, qui ad officium hujusmodi Scriptoriæ per Romanam Pontificem sunt vel fuerint deputati.

De peregrinis expediendis.

§. 13. Dicti quoque Pœnitentiarii fraternitatem invicem diligentes a qualibet detractone, & emulatione prorsus abstineant, pacisque bonum, & concordiam unitatem teneant & observent.

Pœnitentiarii alii facultates suas commutare non possunt.

§. 14. Volumus autem, quod si diebus Dominicis vel festis, quibus dicti Pœnitentiarii ad Ecclesiam vel locum alium, ad hoc eis deputatum non consueverunt accedere, multitudo Peregrinorum supervenerit ad Romanam Curiam pro confessionibus vel absolutionibus seu dispensationibus obtinendis, dicti Pœnitentiarii omnes & singuli, si hoc sciverint, eisdem diebus Dominicis & festis, justo impedimento cessante ad eandem Ecclesiam seu locum alium ad hoc deputatum dicta hora Primæ pro faciliiori expeditione dictorum Peregrinorum supervenientium accedere, eoque audire & expedire, quantum ad eorum officium pertinet, teneantur.

lites

§. 15. Districtius etiam inhihemus, ne dicti Pœnitentiarii potestatem audiendi confessiones, eis dicti officii ratione concessam generaliter vel specialiter infra Romanam Curiam vel extra aliis committant; nec etiam pœnitentias imponendi, seu dispensandi potestatem eis concessam committant, nisi in casibus eis confessatis, prout in illis de consuetudine dicti officii consueverunt, per eorum

litteras sigillo officii sigillatas committere ab antiquo. Sed ubi forte Casus accederet, quod tantus Peregrinorum concursus, tantaque multitudo, seu præfura confluentium immineret, ut dicti Pœnitentiarii ad expeditionem eorum sufficere non valerent, habeant recursum ad Majorem Pœnitentiarium supradictum qui durante illa necessitate de idoneis Confessoribus, qui dictos Pœnitentiarios in iis adjuvent, prout sibi videbitur, studeat providere.

De Confessoribus in adiutorium admittendis.

§. 16. Hujusmodi autem Confessores & adiutores confessiones audiant, absolvant, dispensent, pœnitentias imponant in Casibus tantum eisdem Minoribus Pœnitentiariis concessis & in loco seu Ecclesia ad sedendum eisdem Pœnitentiariis deputatis, à quibus etiam idem Major Pœnitentiarius recipiat Juramentum, quod in hoc bene & fideliter se habebunt, & quod nihil penitus pro prædictis expediendis recipiant a quocumque.

De Sigillis ad litteras sigillandas.

§. 17. Statuimus insuper & etiam ordinamus, quod quilibet dictorum Pœnitentiariarum sigillum proprium, quo utitur ad litteras dicti officii sub suo & dicti officii nomine sigillandas, duobus Clericis communibus ad hoc specialiter deputatis, vel imposterum deputandis, tenendum, & conservandum assignet pro sigillandis celerius literis antedictis; quodque sigillis quibus dicti Pœnitentiarii utuntur in officio supradicto nulla alia litteræ, nisi dicti officii sigillentur. Poterit tamen eorum quilibet, si velit, alius alterius impressionis & formæ sub nomine proprio sigillum habere pro aliis suis literis sigillandis.

De Clericis deputandis ad hujusmodi conservanda sigilla.

§. 18. Jurabunt etiam dicti minores Pœnitentiarii, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint, juxta formam inferius annotatam. Nostræ tamen intentionis, seu voluntatis existit, quod Major Pœnitentiarius prædictus debeat in dicto officio Pœnitentiariæ dictos duos Clericos pro tenendis, & conservandis dictis sigillis, & literis sigillandis, sufficientes & idoneos, & fideles ponere & instituire; ac etiam destituere, & destitutorum loco alios subrogare, quando & quoties eis videbitur expedire, a quibus etiam idem Major Pœnitentiarius recipiet Juramentum juxta formam, quæ inferius continetur. Hi autem duo Clerici pro ducendis aliquibus Clericis defectum seu maculam in membro aliquo patientibus ad præsentiam aliquorum Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro inspectione, & consideratione defectus seu maculæ prædictorum, vel etiam pro aliis Personis ducendis ad alias Ecclesias Civitatis, seu loci, in qua Romana Curia residebit, non recipient a singulis ultra taxationes, per Nos super hoc ordinatas: ubi vero essent notabiliter pauperes nihil recipiatur ab eis in casibus supradictis.

De Distributore petitionum.

§. 19. Rursus statuimus, & ordinamus, quod Scriptores dictæ Pœnitentiariæ Distributorem petitionum, & etiam literarum, quem duxerint eligendum, ante quam aliquid distribuatur, faciant per Correctores prædictos, vel saltem unum ex eis prædicto Majori Pœnitentiario præsentari: a quo etiam idem Major Pœnitentiarius corporale recipiat Juramentum juxta

formam inferius annotatam. Quilibet autem dictorum Scriptorum in bono, & sufficienti pergamento, & forma decenti litteras ejusdem Officii sibi distributas de bona, & non cursoria littera, sine omni suspecta rasura, celeriter scribere procurabit: & nihilominus Juramentum præstabit juxta formam, quæ inferius continetur.

Leges nonnullæ a Scrip-toribus servanda.

§. 20. Statuimus quoque, & etiam ordinamus, quod litteræ dicti Officii, declarationem seu dispensationem aliquam continentes, & eon similes habeant a parte superiori, & aliis duobus lateribus spatium chartæ non scriptæ latitudinis trium digitorum, vel circa, & a parte inferiori hujusmodi spatium duplicatum. Litteræ vero Confessionales in majori seu minori forma a parte superiori, & ab utroque latere habeant spatium saltem duorum digitorum, vel circa; ex parte vero inferiori trium digitorum debeant continere, alioquin per Distributorem petitionum, & literarum ipsius Officii hujusmodi litteræ non signentur, neque taxentur, nec etiam sigillentur: sed per eosdem Scriptores, qui eas scripserint, gratis & celeriter cum prædictis spatiis debitis rescribantur: & nisi hoc fecerint, vel si tardaverint infra unius diei naturalis spatium ipsas rescribere justo impedimento cessante, illi vel illis, quorum erunt præfata litteræ rescribenda, necessarias expensas ministrant, usque ad expeditionem earundem literarum si recipere velint eas. Quilibet autem dictorum Scriptorum litteras sibi distributas cito expeditat nihil ultra taxationem pro celeri expeditione ipsarum, vel alias quomodolibet receptorus: lidemque Scriptores illos, quorum sunt litteræ vel alios, non exasperent, neque per se vel per alium seu alios comminentur eisdem, neque verbo vel facto ipsos offendant; sed benigne & favorabiliter tractent eos, supplicationes, super quibus litteras ipsas fecerint, ut fraus committi nequeat, eisdem literis allegando. Ceterum, quæ litteræ sub nomine, etiam minorum Pœnitentiariarum transibunt, similiter in bonis pergamento, forma, & littera absque omni suspecta rasura, & fraude vel dolo cito scribantur per Scriptores eosdem, & diligenter per Correctorem videantur, & etiam corrigantur; & litteræ aperte in cordulis de filis quemadmodum fit de literis dicti Officii, quæ sunt sub nomine Majoris Pœnitentiarii, per deputatos ad id Clericos sigillentur. Insuper dicti Scriptores ad Ecclesiam, seu locum ad hoc deputatum, bene mane se conferant, hora videlicet, qua præfati Pœnitentiarii accedunt ad eandem Ecclesiam, sive locum. Quilibet autem dictorum Scriptorum petitiones sibi distributas secundum formam debitam in literis redigat atque scribat: recurrentibus ad eum pro ipsis literis scribendis non ironice, vel derisive respondeat, nullaque opprobria dicat eis, sed benigne, & charitative tractet eosdem: nec dicti Scriptores unus cum alio verba injuriosa vel improperativa maxime in dicta Ecclesia, præsumant sibi dicere, vel habere. Quod si contrarium fecerint, juxta Majoris Pœnitentiarii arbitrium puniantur. Præfati etiam Scri-

pto-

ptores Distributori literarum dicti Officii in dicta Ecclesia, quoad Scriptores earum, & in aliis, quæ ad suum spectant Officium, pareant & intendant; Contrarium vero facientes absque causa legitima emolumento illius diei, quo taliter excefferint, alias sibi debito sine gratia remissionis priventur, aliis conscriptoribus suis equaliter applicando. Dicti etiam Scriptores extra Romanam Curiam profecturi, antequam de Curia ipsa recedant, id Distributori notificent supradicto; & sive cum licentia sive sine licentia de dicta Curia, se absentent, nihil pro eo tempore, quo absentes fuerint, recipiant ratione Officii memorati, nec etiam post regressum ad dictam Curiam aliquid pro tempore absentia recompensetur eisdem.

Distributoris munia.

§. 21. Prefatus etiam Distributor petitiones pauperum singulariter, & per ordinem per Scriptores singulos distribuatur nominatim, nec ponat in ipsis petitionibus recipit; quibus gratis pro Deo; sed nomine proprio Scriptores, quibus illas distribuit, nuncupando compellat eosdem, ut eas scribant & præponant alius petitionibus, ex quibus emolumentum eis provenit in scribendo, quia melius est servire Deo pro pauperibus, quam hominibus propter lucrum: & huiusmodi distributiones pauperum singulis dictis Scriptoribus per ordinem faciat, quoties fuerit opportunum; Et si quis forte recusaverit huiusmodi literas gratis & celeriter scribere, emolumento officii illius diei privetur. Quilibet autem dictorum Scriptorum literas sibi distributas teneatur scribere ac expedire infra unam diem naturalem ab hora receptionis sibi factæ distributionis huiusmodi computandam, legitimo impedimento cessante, nisi contingat quod ipse, cujus erunt literæ, aut Procurator ipsius, dilationem Scriptori indulserit ampliorem, vel nisi tot haberet literas, quod unius diei spatium sibi non sufficeret ad scribendum easdem; vel nisi forte litera declaratoria vel alias difficilis sive gravis, quam scribere nihilominus quancito poterit, teneatur; quod vel que impedimenta seu causas Distributori dicere teneatur. Si qui vero dictorum Scriptorum huiusmodi literas post receptionem distributionis huiusmodi scribere omiserit sine causa rationabili, ut præfertur, Distributor ipse per alium Scriptorum dicti officii celeriter faciat eas scribi, eum, qui omiserit, vel recusaverit, absque causa legitima eas scribere, ab emolumento ipsius diei totaliter excludendo.

Scriptores honeste vivant.

§. 22. Nullus quoque Scriptor dicti officii teneat concubinam, vel aliam mulierem in domo sua; nisi forsam matrem vel sororem; sed eorum quilibet prout decet castæ & honeste vivat, cum honesto habitu incedendo; nec cum armis vel suspectis personis, præsertim nocturno tempore, legitima causa cessante, presumat incedere; qui vero contrarium fecerit si monitus a Correctore vel Distributore; ac etiam si dictus Corrector vel Distributor in talibus excefferit vel deliquerit, si monitus a Doctore prædicto, cui ceteri Scriptorum, qui hoc sciverint id habeant intimare, infra octo dies post huiusmodi monitiones immediate,

sequentes se non emendaverint a talibus insolentis penitus desistendo, distributione ac emolumento præfati officii extunc in antea careant eo ipso, usque ad arbitrium & voluntatem Majoris Pœnitentiarii supradicti: correctione tamen, & emendatione vice debita præcedente.

§. 23. Præterea statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli Procuratores in eodem Officio Pœnitentiariæ in petitionibus faciendis, & in literis Pœnitentiariæ procurandis seu impetrandis, fideliter studeant se habere nullam in prædictis fraudem, dolum, vel malitiam committendo; lidemque Procuratores nihil ultra taxationes, per Nos super hoc factas, pro petitionibus faciendis, & procurandis, seu impetrandis literis dictæ Pœnitentiariæ ratione salarii, seu laboris, vel alias exigere, vel recipere quocummodo præsumant. Contrarium vero facere præsumentes ad restitutionem dupli illis, a quibus ultra receperint, per Doctorem præfatum confestim arctius compellantur. Quod si ii, quibus esset huiusmodi restitutio faciendâ, reperti non fuerint, duplum huiusmodi per dictum Doctorem pauperibus erogetur. Quod si dicti Procuratores, vel aliqui eorum bis, vel ter in hoc reperti fuerint culpabiles, per dictum Majorem Pœnitentiarium, vel per deputandos ab eo Officium Procuratoris huiusmodi interdicitur iisdem. Dicti quoque Procuratores sua nomina, & cognomina, cujusve Diocesis & loci existant, coram dicto Majori Pœnitentiario, vel alio, cui idem Major Pœnitentiarius id duxerit committendum, proprio Juramento fateri, & recognoscere teneantur; que etiam in Domo dicti Majoris Pœnitentiarii redigantur in scriptis alioquin nulla petitio recipiatur, vel litera ad eorum instantiam scribatur, vel distribuatur, aut sigilletur, nullumque salarium eis detur. Per hæc autem, que super dictis Procuratoribus, & eorum officio sunt statuta, nullum quibusvis personis impedimentum præstetur, quominus ii, qui voluerint, possint pro se, ac pro consanguineis, & amicis suis huiusmodi literas impetrare.

De Procuratoribus.

§. 24. Formæ autem Juramentorum, secundum quas præfati Officiales, qui nunc sunt, & qui pro tempore fuerint, jurabunt in præsentia Majoris Pœnitentiarii sunt hæc, videlicet--Ego.... Doctor ad examinandum petitiones, & literas Pœnitentiariæ a Majori Pœnitentiario Domini Papæ deputatus: Juro quod huiusmodi Officium mihi commissum fideliter & diligenter exercebo: & quod per me, vel alium, seu alios occasione dicti Officii, nihil omnino, quantumcumque gratis oblatum vel donatum etiam sub mutui specie, vel alio quolibet colore quæsito recipiam a quocumque sed gratis sine pravitate, & cum omni puritate meum officium exercebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Forma Juramenti ab Officialibus præstandi: Juramentum Doctoris.

§. 25. Persona quoque ad recipiendum petitiones per dictum Majorem Pœnitentiarium deputata præstabit simile Juramentum videlicet--Ego..... ad recipiendum petitiones Pœnitentiariæ a Majori Pœnitentiario Domini Papæ deputatus, juro, quod huiusmodi officium

Deputati ad recipiendas petitiones.

mihi commissum fideliter & diligenter exercebo: & per me vel alium seu alios, occasione prædicti officii, nihil omnino quantumcumque gratis oblatum vel donatum etiam sub mutui specie, vel alio quolibet colore quæsito, recipiam a quocumque; sed gratis sine pravitate, & cum omni puritate meum officium exercebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Correctorum.

§. 26. Correctores etiam sic jurabunt, videlicet--Ego..... ad corrigendum literas Pœnitentiariæ a Majori Pœnitentiario Domini Papæ deputatus Juro, quod huiusmodi officium mihi commissum fideliter & diligenter exercebo: & quod per me, vel alium, seu alios, occasione prædicti officii, nihil omnino quantumcumque gratis oblatum vel donatum etiam sub mutui specie, vel alio quolibet colore quæsito, recipiam a quocumque; sed gratis sine pravitate, & cum omni puritate meum officium exercebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Sigillatoris.

§. 27. Forma Juramenti Sigillatoris--Ego..... ad sigillandum literas Pœnitentiariæ sigillo Majoris Pœnitentiarii deputatus, Juro, quod huiusmodi officium mihi commissum, fideliter & diligenter exercebo: & quod nullas literas dictæ Pœnitentiariæ sigillabo, nisi Correctoris literarum, & Distributoris petitionum ejusdem Pœnitentiariæ consuetis signis prius fuerint consignatæ: & quod etiam declaratorias, seu alias literas Juris dubia continentis, nullatenus sigillabo, nisi signo Doctoris ad examinandum & corrigendum huiusmodi literas deputati signatæ fuerint, & per eundem Doctorem vel Nuncium suum juratum mihi fuerint assignatæ, vel quas præfatus Major Pœnitentiarius mandabit mihi specialiter sigillari. Literas autem per me sigillatas tradam Distributori ejusdem Officii, vel ponam in archa ad harum literarum custodiam deputata. Pro prædictis vero literis sigillandis, vel alias pro iis, que spectant ad dictum Officium Pœnitentiariæ nihil omnino recipiam a quocumque, nisi dumtaxat a Scriptoribus dicti Officii, a quibus pro cera ultra taxationes per Dominum Benedictum Papam XII. ordinatas; Pro literis vero, que gratis scribuntur, nihil omnino recipiam, sed gratis eas sigillabo; nec eas inter alias computabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Pœnitentiarii minoris.

§. 28. Pœnitentiarii vero Minores jurabunt sub hac forma--Ego..... Pœnitentiarius Domini Papæ ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & Domino meo Domino Papæ, ejusque Successoribus canonice intrantibus: neque ero in facto, consilio, vel consensu, quod vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium, quod per se, vel nuncium suum, seu literas mihi credituri sunt, signo, verbo, vel nutu me sciente ad eorum damnum seu præjudicium nulli pandam. Si damnum eorum tractari scivero, pro posse meo impediam ne fiat: quod si per me impedire non possem, per nuncium aut literas eis significare curabo; vel illi, per quem citius ad

eorum notitiam deducatur. Papatum Romanum, & Regalia Beati Petri, & omnia Jura Romanæ Ecclesiæ, que habet ubique, manutenebo totis viribus, & defendam: Adjutor ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem: Res quoque ipsius Domini Papæ, & Ecclesiæ Romanæ, que meæ custodiæ committentur, diligenter custodiam, & fideliter resignabo. Ambassiatas etiam, & quantumcumque alia negotia mihi commissa fuerint, portabo fideliter, & referam, sine fraude: Et quod pro confessionibus audiendis, vel absolutionibus faciendis, seu aliis, que spectant ad meum officium, nihil omnino per me vel alium exigam vel petam, aut recipiam etiam sub titulo vel specie elemosinæ, vel emolui seu mutui, vel alio quovis modo: Et quod non absolvam vel dispensabo scienter in aliquo Casu mihi non permissio: nec quemquam scienter absolvam a peccato vel peccatis aliquibus in aliquo Casu ambiguo: nec etiam in huiusmodi Casu ambiguo scienter cum aliquo dispensabo, nisi de speciali mandato Romani Pontificis, vel Pœnitentiarii Majoris, cui exprimam dictum Casum sine alicujus revelatione, vel expressione personæ: Et quod non injungam Pœnitentias pecuniarias, expresse mihi, vel alicui certæ personæ, vel Ordini meo, vel alteri applicandas: Super restitutionibus vero injungendis, & faciendis servabo, prout per Dominum Benedictum Papam XII. est ordinatum: Et supradicta omnia & singula promitto, & juro attendere, & observare sine omni dolo, & fraude, ac malitia. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Clericorum ad custodiam sigillorum deputatorum.

§. 29. Clerici vero ad tenendum & conservandum sigilla Minorum Pœnitentiarii deputati, præstabit huiusmodi juramentum videlicet--Ego.... Clericus sigilla Minorum Pœnitentiarii una cum.... Clerico ad hoc mecum deputato, fideliter custodiam: & cum eis, videlicet cum sigillo cujusvis Pœnitentiarii literas per ipsum Pœnitentiarium concessas & concedendas, scriptas tamen per veros Scriptorum dicti officii, seu aliquem eorumdem, & per Distributorem deputatum correctas, ejusque signo signatas, & non alias literas, sine morosa dilatione sigillabo, & sigillatas restituam eis, quorum erunt, seu Procuratoribus eorumdem: & quod ultra taxationes per Dominum Benedictum Papam XII. factas, pro literis sigillandis & reddendis non recipiam a quocumque; Pro literis vero, que gratis scribuntur, nihil omnino recipiam, sed gratis eas sigillabo: & quod a Clericis defectum seu maculam in membro aliquo patientibus conducendis ad præsentiam aliquorum Dominorum Cardinalium pro inspectione & consideratione defectus, seu maculæ prædictorum, vel etiam pro aliis personis ducendis ad alias Ecclesias Civitatis, seu loci, in qua Romana Curia residet, non recipiam ultra taxationes per dictum Dominum Benedictum Papam factas: a Pauperibus vero, non valentibus solvere, nihil recipiam omnino. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Distributoris.

§. 30. Distributor autem præstabit Juramentum